

esset Senatus patefaceret, adversus Rempublicam arma moturos; inopinato Hieronymi Adurni obitu superioribus difficultatibus accedente, quinam rei exitus futurus esset, dispici haud fatis poterat. Interea Gallorum Rex de iis, quæ a Cæsaris Legatis cum Patribus agebantur, certior factus, Venetorum consilia suspecta habere; vereri, ne Cæsari Venetis reconciliatis, difficilior illi in Italiam aditus, atque Insubrum oppugnationo fieret. Quapropter, ut Senatum a Cæsareano foedere averteret, se quamprimum cum ingenti exercitu Alpes transgressurum, Joanni Baduario Reipublicæ Oratori significaverat; ac, ne de illius voluntate ambigi posset, Rentium Ceritem, Ambrosium Florentinum Venetias misit, qui una cum Vilierio ordinario Legato Patrum Collegium ingressi, quæ mens in Italicam expeditionem Francisci foret, exposuerunt, præpotentem Regem pedite, equite, pecunia, bellicis machinis cito Italiam ingressurum; Senatum rogare, ut in mutuo foedere, quod antea percussum fuerat, permaneret: Gallis cum suis copiis, ac viribus præsto foret; id cum veteri Reipublicæ in Regem benevolentia, atque amicitia, tum ipsius in Rempublicam meritis responsurum. Senatus, cum in re admodum ancipiti, ac perplexa versaretur, hinc Cæsaris, inde Regis Oratoribus illius amicitiam petentibus, aliquid certi pronunciare difficile admodum erat; ne alterius partis in se odium, atque arma provocaret. Licet enim cum Cæsare de pacis conditionibus agitaretur, Adurni morte negotium intermissum fuerat; Gallorum vero vires, Regisque Insubres invadendi consilium Patrum animos valde suspensos tenebant, ut, neque deferere inchoatas concordia ineundæ rationes, neque Gallis quidquam aperte, aut negare, aut polliceri vellent. Tandem ita Senatus consulto responsum est. *Optima semper mente erga potentissimum, atque invictissimum Regem Rempublicam fuisse; cunctis semper studii, atque observantia officiis coluisse, quæ superioribus annis præstiterit argumento esse; de auxiliis in Italiam venturo subministrandis nil esse, quod modo ageretur; cum Summus Pontifex de communi inter Christianos Principes concordia summopere sollicitus, id sedulo meditaretur, ut, semotis armis, tandem quies orbi Christiano affulgeret, ac Pannoniis trepidantibus, bellicque incendio con-*

1523

*Hieronymi
Adurni
obitus.*

*Rentius Ce-
res, & Am-
brosius Flo-
rentinus
Gallici O-
ratores ad
Venetos.*

fla-